

possessione nos posse beari: *credis hoc?* Non quidem; quia si hoc crederes, in temporalibus bonis, et in fedis libidinibus felicitatem tuam non constitueres. Fide divina certum est, Deum ubique esse præsentem, ratione immensitatis suæ: *credis hoc?* Est quod judicem, te hoc non vere credere, quia si hoc crederes, tot in conspectu ejus crimina perpetrare erubesceres. Credisne, Christum Dominum vere et realiter esse in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento? Timeo, quod hoc non perfecte credas, quia si eum ibi esse crederes, ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum frequentius et majore cum reverentia accederes. Alia non recensebo fidei catholice mysteria; sed ponderatis præfatis, et aliis fidei nostræ mysteriis, *vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate.* Si in vobis fidem non esse advertatis, eam a Deo supplices petite, eamque bonis operibus fœcundam facite; et fides vestra vos salvos faciet. *Amen.*

FERIA VI ANTE DOMINICAM PRIMAM.

DE AMORE INIMICORUM.

Diligite inimicos vestros (Matth. 5).

Ex omnibus Dei præceptis nullum nativæ homini propensioni ita repugnat, ut illud, quod ad inimicos corde, ore et opere diligendos adstringimur. Certum quidem, et hoc et omnia alia Dei præcepta ab hominibus servari posse, nilque impossibile a Deo esse præceptum; durum tamen est diligere illum, qui ex animo nos odit, qui famam nostram undequaque denigrat, qui sanguinem nostrum sitiit, qui vitæ nostræ insidias parat, et qui modis omnibus nobis nocere contendit. Norunt, qui experti sunt, quam durum sit benefacere iis qui nos persequuntur,

quamque difficile sit affectu christiano prosequi operum nostrorum sugillatores, virtutum nostrarum detractores, ac famæ, vitæ, et personarum nostrarum infensissimos hostes. Hoc norunt illi, et cum Augustino fatentur, quod *in justificationibus Domini nulla res sit difficilius, quam ut quisque suos diligat inimicos* (In ps. 118). Jamvero licet durum et grave sit hoc præceptum homini juxta corruptæ naturæ leges operanti; suave tamen fit jugum illud per Dei gratiam, quæ nulli deest; illudque leve censebit, qui serio perpendet urgentia motiva, quæ ad diligendos inimicos nos excitare debent. De quibus jam dicturi sumus. *Ate.*

Malum pro malo reddendum, et vindictam de inimicis suamendam, suadent dæmon, mundus, prava consuetudo, et natura corrupta: ut ergo de iis triumphemus, utque ad inimicorum amorem alliciamur, urgentia motiva quisque in mente habere, et sibi præfigere debet. Ante Christi adventum nonnullis philosophis gentilibus magnum amoris inimicorum motivum erat vitæ præbitas; quam sine hoc amore non posse esse credebant, dicentes, virum illum non esse bonum, qui diuturna in hostes suos concitatur ira, quia *apud virum bonum cito moritur iracundia* (Temist.). Aliis quibusdam gentilibus magnum amoris inimicorum motivum fuit magnanimitas, et ideo dicebat Seneca: *Magni animi proprium est tranquillum esse, placidumque offensas et injurias remittere* (De clem.). Alii ad amorem inimicorum alliciebantur ex honoris et gloriæ motivo; censentes, nil gloriosius, quam in seipsis ire et vindictæ motus comprimere. Dicebantque, illum esse fortiorem qui se, quam qui urbes munitissimas, et copiosos exercitus vincebat: *fortior est qui se, quam qui fortissima vincit mœnia.* Iis omnibus motivis quilibet Christianus ad amandos inimicos excitari debet: attamen urgentiora hujus amoris motiva habemus in Christo, qui præcipit, qui amat, et qui punit: *qui præcipit*, ut inimicos diligamus: *qui amat* inimicos: et *qui punit* eos, qui inimicos oderunt. Dicamus ergo amandos esse inimicos: 1. Quia Christus inimicos amare præcipit; 2. quia Christus inimicos amat; 3. Quia Christus eos qui inimicos ode-

runt, dire plectit. Christus præcipit, Christus amat, Christus punit. En tres hujus concionis partes, et tria amoris inimicorum motiva.

I PARS.

Diligendi inimici: quia Christus eos amare præcipit.

In veteri Testamento Judeis præceperat Deus, ut proximum diligerent: *diliges proximum tuum*. Quia vero ex iis multi nomine proximi intelligebant solum amicos, hic apud illos error irreperat, quod scilicet amici essent amandi, inimici vero odio habendi: *audistis quia dictum est: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (Matth. 5). Christus autem ut hunc tollat errorem, utque homines ad inimicorum amorem inclinet, hodie clare loquitur, et cuique præcipit, ut suos diligit inimicos: *ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros*. Audiamus Christum præcipientem, et obediamus ei. Inimicos diligamus: quia præcipit Christus: 1. qui Deus noster est; 2. qui Pater noster est; 3. qui benefactor noster est.

1. Qui inimicos diligere præcipit, non princeps quidam terrenus, sed ipse Deus est. Qui præcipit ut inimicos diligamus, est ipse Christus Dominus, cujus sapientia infinita, bonitas ineffabilis, et potestas immensa. Ipse est qui legem amoris instituit, qui inimicorum odium prohibet, et qui eos diligere præcipit his verbis: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Quasi dicat: *ego*, qui Deus sum, qui supremus Legislator, et Rex regum sum, *dico vobis*, qui humiles servi mei estis, ut non solum amicos, ut etiam inimicos diligatis. Quasi dicat, *ego*, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, qui nec fallere, nec falli possum, qui que leges iniquas condere nequeo, dico vobis insipientibus, et errori obnoxii, ut inimicos quoslibet ex corde ametis. *Ego* qui cum Deus sim, cognosco quid prosit vobis inimicos diligere: *ego*,

qui vos salvare, aut reprobare possum: *ego*, inquam, dico et præcipio vobis, ut inimicos diligatis: *diligite inimicos vestros*. Cum igitur Christus, qui Deus est, præcipiat ut inimicos diligamus, non ambigendum, nec de æquitate præcepti disputandum; id unum superest ut inimicos ex corde diligamus. *Divino intonante præcepto, obediendum est, non disputandum* (Aug. 16, de civ. Dei, 32). Ipsæ creaturæ insensibiles Deo in omnibus obediunt. Si enim terræ præcipiat, ut populos multos, et gentes magnas glutiat, mox sinum aperit, eosque protinus devorat: si aquis imperet, ut ultionem peccatoribus sumant, et solito statim exeunt alveo, et Dei inimicos undequaque inquirunt, ut eos submergant; si jubeat solem cursu certo et constanti moveri, ut dies et annos metiatur, mirabile illud sidus nec minimum a lege sibi posita aberrat; si igni prohibeat, ne aliquibus viris justis nocent, vorax hoc elementum iis blanditur, eosque refrigerat; si terminos mari præscribat, ultra eos nullo modo progreditur *terminos concessos non excedit, servant jura præscripta* (Ter. lib. de Trin.). Nec solum terra, ignis et aqua, at etiam grando, nix, glacies, et omnes creature insensibiles ei quam perfectissime obtemperant: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (Psal. 148, 8). O Christiane, si Deo obtemperent ipsæ creature insensibiles; cur tu, qui sensu et ratione præditus es, ei non obedies? Cur Christo, qui Deus est, et qui præcipit, ut inimicos diligas, obtemperare renues? Ne violes mandatum ejus, imo vero inimicorum amorem præcipienti, humiliter pareas. Si autem inimicos diligere debeamus, quia præcipit Christus, qui Deus noster est, eos etiam diligere debemus, *quia præcipit Christus, qui Pater noster est*.

2. Nullus tam pater noster est, quam Christus, qui fecit nos, qui creavit et regeneravit nos; nullus tam pater noster, quam Christus, a quo habemus esse in ordine naturæ et in ordine gratiæ: *tam pius nemo, tam pater nemo* (Tertul.). Christus autem, qui Pater noster est, præcipit nobis, ut inimicos diligamus: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Quare quisque suos inimicos diligere debet, cum Chri-

stus, qui Pater noster est eos amare præcipiat. *Quanta*, inquit S. Thomas a Villanova, *quotidie facimus pro amicis? quot a nobis alienatos et invidios, ornantibus amicis, in nostram gratiam recipimus? O Christiane, facis hoc pro amico, et non facies pro Christo? maxime cum Christus hoc non solum consulat, sed et præcipiat* (Conc. in fer. 6 ante Dom. I. Quad.). O Christiane, si pro amico rogante, inimicos diligis, quanto magis eos diligere debes pro Christo, qui non solum amicus, sed etiam Pater tuus est, et qui non solum rogat, sed etiam præcipit, ut eos diligas? Certe licet inimici tui Turcæ essent, eos diligere deberes: quia Christus qui Pater tuus celestis est, hoc præcipit. *Omnes Turcas*, inquebat præfatus Antistes, *imo et ipsos demones diligerem, ac pro amicis haberem, si id præciperes* (Ibid.). Fratres Josephi, mortuo patre, timuerunt, ne ipse injuriam ab iis acceptam ulcisceretur: eum ergo ab omni ira et vindictæ spiritu avertere cogitaverunt: nec ad hoc rei ullum efficacius motivum ei proponendum adinverunt, quam defuncti patris ultimam de condonando voluntatem. Ut enim loquitur sacra Scriptura: *Timentes fratres ejus, et manu colloquentes, ne forte memor sit injuriæ, quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus, mandaverunt ei, dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus. Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te* (Genes. 50, 15). Nonne videtur, quod maxima Josepho ratio esset irascendi in fratres, a quibus in foveam missus, et inique venditus fuerat? Nonne videtur, quod tunc de iis vindictam sumere deberet, aut saltem perpetratum crimen eis exprobare? Hoc sane facere suadebant naturæ et mundi leges; verum non ut audivit, præcipisse patrem, ut hanc iis injuriam condonaret, blande et suaviter allocutus est eos, omnemque ex animo offensam remisit. O Christiane, de inimico conquereris; dicis te ab illo fuisse injuriis lacessitum, opprobriis gravatum: esto quod ita sit. Nihilominus dico tibi, quod illi parcere debeas, omnisque injuriæ ab illo acceptæ oblivisci: quia Christus, qui

Pater tuus est, et vivens, et moriens, præcepit tibi, ut inimicos diligas: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Christi Patris tui obtempera voluntati, parce inimicis tuis; eos ex corde dilige: quia hoc tibi præcipit Christus, qui Pater tuus est; *ac etiam benefactor tuus*.

3. Innumera sunt, quæ a Christo beneficia accepisti: quid enim habes, quod ab eo non acceperis? A quo habes, quod sis, quod vivas, quod loquaris, quod videas, quod ratiocineris, et quod æternæ beatitudinis sis capax, nisi a Christo Domino? Nihil eras, et ille fecit te: perieras, et quesivit te: servus eras, et redemit te: emptum liberavit te: de servo fratrem fecit te: *Donavit vitam, donavit ætatem, donavit liberam voluntatem, donavit substantiam, donavit ingenium, donavit rationem, donavit scientiam, donavit omnia sua, ut essent tua; donavit se ipsum* (Augus. lib. 2 de fine). O eximium benefactorem! o quot et quanta a Christo accepisti beneficia! Tot quidem et tanta sunt, ut vix numerari et concipi possint; *deficit prorsus spiritus noster, deficit in tanta beneficiorum consideratione* (S. Bern. de sept. miser.). Ille autem a quo tot et tanta percipisti beneficia, præcipit tibi ut inimicos diligas; *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Non igitur hoc illi denegandum; imo fugato omni iracundiæ et vindictæ spiritu, inimicos debes ex corde diligere pro illius amore, qui tot te donis et beneficiis affectit. Immensa, quæ a Deo acciperat, beneficia perpendens regius Propheta, sollicite inquirebat, quam pro tot receptis favoribus ei offerret retributionem. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi* (Psalm. 115). Deinde advertens, nil gratitudini suæ convenientius, nilque Deo gratius, quam inimicorum amorem, in gratiarum actionem Deo pollicetur, se inimicis condonaturum, ac persecutionum, injuriarum, calumniarum, aliarumque amaritudinum calicem se æquo animo pro ejus amore bibiturum. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*. Calicem solum illic, ut explicat S. Ambrosius, de quo duobus discipulis Christus dicebat: *Potestis bibere calicem, quem ego habitu-*

rus sum? O Christiane, serio pondera immensa et innumera quæ a Christo percipisti beneficia: et si scire velis quid pro tot beneficiis ei retribuere valeas, vide eum offerentem tibi calicem persecutionum; audi eum dicentem et præcipientem, ut eos diligas qui te persequuntur: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Ideo pro ejus amore hunc bibe calicem; pro ejus amore ei præcipienti obtempera, et inimicos toto corde dilige. Inimicos ergo dilige: quia præcipit Christus, qui Deus, Pater, et benefactor tuus est. At inimici non solum diligendi, quia Christus eos amare præcipit, sed etiam *quia Christus eos amat.*

II PARS.

Diligendi inimici, quia Christus eos amat.

Christus non solum in laboribus, sed etiam in persecutionibus fuit a juventute, et a nativitate sua. Mox enim ut natus est, illum dire persecutus est Herodes: in vitæ suæ decursu illum Pharisei, Scribæ, et alii innumeri inique et acriter persecuti sunt: et in vitæ suæ fine, a Juda traditus, a satellitibus captus, a militibus illusus, a Pilato condemnatus, et a sævissimis carnificibus flagellatus, spinis coronatus, et cruci affixus est. O quam gravia et acerba ab inimicis suis passus est Christus! Mirabilia vero et portentosa sui erga inimicos et persecutores suos nobis præbet amoris exempla in præsepio, in vitæ suæ decursu, et in cruce: 1. *in præsepio*, in quo nascens reclinatur; 2. *in vitæ suæ decursu*, dum cum hominibus versatur; 3. *in cruce*, ubi pro inimicis orat, et moritur.

1. Ante Christi adventum ob perpetratum a protoparente peccatum eramus omnes filii iræ, satanæ servi, et Dei hostes; Dei autem Filius, ut nos a dæmonis servitute liberaret, ac nos Patri reconciliaret, incarnari, homo fieri, et in præsepio nasci dignatus est: *et reclinavit eum in præsepio* (Luc. 2, 7).

Quis non amet Christum, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis? Quis summo affectu non diligat Christum, qui ut homines ad cœlestia regna eveheret, *exinanivit semetipsum?* (Philip. 3, 7). Eoquis odio habeat Christum, qui ut nos Patri reconciliaret, in vili præsepio nasci et requiescere voluit? Illum quidem nullus odio habere, et eum omnes amare debent: illum tamen in præsepio reclinatum odio habuerunt Herodes, ejusque satellites, qui adversus eum iniqua machinati sunt, et illum ad necem quæsierunt. Tantum autem abest, quod Christus aliquam de iis vindictam sumpserit, quin contra paterno semper eos amore persecutus est, eisque benefacere non destitit. Poterat Christus infans, infans, et in humili præsepio fasciis involutus, Herodem, omnesque ejus satellites statim interimere, pessumdare, et annihilare: *Nonne poterat contra eos superius cœlum perfringere, vel ipsos terræ hiatibus abolere, vel dimovere ex propriis terminis mare, et voraginibus terram submergere, vel Sodomiticum ignis imbrem mittere unico verbo, vel aliquod aliud acerbum supplicium irrogare* (Greg. Nazian., or. de perfecta Chr. forma). Hoc quidem quam facillime poterat. Voluit autem jam a præsepio prima amoris sui erga inimicos signa edere, ideo adversa omnia miti patienteque animo pertulit, ac Herodem et iniquos ejus administratos plectere noluit. Quin contra vitæ usuram eis prorogavit; solem suum super eos sicut et super alios, oriri fecit; temporalia eis, sicut et aliis dedit; ac gratias, quarum auxilio æternam beatitudinem assequi valerent, eis non denegavit. O Christiane, contemplantur in præsepio Christum diligenter vide quomodo Herodem, aliosque persecutores suos amet. Si autem ille suos, cur tuos non diligas inimicos? Si persecutores suos amet ille, qui Deus est; cur persecutores tuos non amabis tu, qui Dei servus es? *Nunquid quod deceit Deum, dedecet Dei servum?* (Petr. Bles. ep. 146). Certo hoc te non dedecet; imo magna tibi gloria sequi Dominum, et Christum imitari: quem si non imiteris, christiano indignus es: nomine: *Christiani nomen frustra sortitur, qui Christum minime imi-*

tatur (Aug.). Imitare ergo Christum, qui in præsepio reclinatus, inimicos diligit; *et qui eos etiam diligit in vitæ suæ decursu, dum cum hominibus versatur.*

2. Christus diu latere voluit; mox autem ut cum hominibus conversatus est, infensissimi ejus hostes extiterunt Scribæ, Pharisei, Judaicæ Legis Doctores, et plurimi ex Judæis, qui interna in illum invidia concitati, famam ejus denigrare conati sunt, dicentes, eum esse peccatorem, insanum, et dæmonem: *Dictus est peccator, dictus est iniquus, dictus est Belzebub, dictus est insanus* (Aug. in ps. 68). Jamvero nonne hi, iniqua exardescentes ira, ejecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum? Nonne calumnias, falsis testimoniis, et iniquissimis quibusque viis illum ad mortem persecuti sunt? Quid autem Christus? suisne inimicis reddidit vicem? maledixitne maledicentibus? nequaquam; ab iis enim *cum malediceretur, non maledicebat* (1. Petr. 2). Quid ergo? forte malum pro malo reddidit? nequaquam; quin contra, eos ex corde dilexit, eisque benefacere non destitit; *vide, inquit S. Thomas a Villanova, quanta bona fecit inimicis suis, quomodo curabat ægrotos eorum, quomodo docebat, quomodo dirigebat, quomodo sitiebat salutem eorum* (Ubi sup.). Miramini Christum, qui inimicos amat; qui illos beneficiis multis afficit, et qui eo majorem eorum curam habere videtur, quo graviores ab eis injurias et contumelias patitur: *quantoque magis ipsum Judaicus populus ignominia, et probris insectabatur, eo majori sibi curæ fuit* (Chrys. ho. 1 de Dav. et Saul.). Illum admiramini, ac etiam eum imitamini. O Christiane, inquit S. Thomas a Villanova, *respice magistrum tuum et ducem tuum: vñle quanta bona fecit inimicis suis. Si ergo es de schola Christi, cur non sequeris professorem* (Ibid.)? Sequere professorem: imitare Christum, qui amat inimicos, et qui in toto vitæ decursu persecutoribus benefacit. *Sed majora adhuc, et portentosa suæ erga inimicos amicitie exempla edit in cruce, ubi pro iis orat, et moritur.*

3. Poterat haud dubie Christum ab inimicorum manibus li-

berari, de iis vindictam sumere, eosque annihilare, si voluisset: tantus tamen ejus in illos fuit amor, ut ulcisci noluerit, sed pro eorum salute pati, et immolari: *eum posset ulcisci, maluit immolari* (Ambr.). O egregium ejus erga inimicos amorem! quem adhuc majorem fuisse censebit, qui advertet Christum pro inimicis pati et mori voluisse in cruce, et morte crucis. Liberum erat Christo pro inimicis mori vel non mori, et pro iis hac vel illa morte mori. Cum ergo Christus ex nimia sua charitate pro inimicis mori statuerit, cur potius morte crucis, quam alia minus cruenta, et minus probrosa mori voluit? cur non prælegit lapidari, ense caput amputari, vel suffocari, quam cruci affigi? Præclare respondet Chrysostomus: *Noluit lapidari, noluit suffocari, noluit ense caput amputari, sed voluit crucifigi, ut audiretur hæc vox: Pater ignosce illis.* Si suffocatus fuisset Christus, pro inimicis ad Patrem clamare non potuisset; si ei abscissum fuisset caput, clamandi tempus non habuisset; si lapidatus fuisset, ne pro inimicis orans et clamans audiretur, lapidum strepitus impedisset; ideo sursum elevari, et cruci affigi voluit, ut libere clamare, pro inimicis orare, ac ab iis, et pro iis orans, et clamans audiri posset: *ut audiretur hæc vox: Pater dimitte illis.* Contemplemur Christum cruci affixum, audiamus eum pro inimicis orantem et clamantem: *Pater dimitte illis.* Christus, inquit S. Thomas a Villanova, pendeat in cruce cruentus, plagatus et laceratus ab eis, quibus tanta beneficia præstiterat, neque contenti tormentis, insultabant ludibriis, deridentes et subsannantes, moventes capita sua dicebant: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Audit patienter insultatores suos, et Patrem orat: *Pater dimitte illis* (Ibid.). O portentosam Christi benignitatem! O admirabile ejus erga inimicos amorem! Qui, ut advertit S. Bernardus, inde majori est admiratione dignus, quod illo ipso tempore, quo crucifigebatur, pro crucifixoribus suis oraverit, ac pro inimicis tunc veniam petierit, cum ab iis dirissima pateretur: *qui flagellis cæcus, clavis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor inquit: Pater ignosce*

illis, quia nesciunt quid faciunt. O homines vindictæ et ultionis cupidi, oculos et mentem ad Christum cruci affixum convertite, respicite in faciem Christi Salvatoris vestri, et Magistri vestri, videte eum clavibus confossum, spinis coronatum, et ab inimicis crucifixum; audite eum in crucis patibulo pro iis orantem, et Patri clamantem: *Pater dimitte illis.* A vertice usque ad pedes nulla in eo est sanitas, solius lingue usus ei superesse videtur, et ea utitur, ut pro inimicis oret, utque ad Patrem clamet, *Pater dimitte illis.* Inimici clamaverant, *crucifige,* et Christus cruci affixus, Patri clamat, *ignosce.* Mira res! Judæi clamant vindictam, et Christus clamat veniam; hi fel ori ejus apponunt et ille melliflua; et inaudite charitatis verba ex ore promens clamat Patri, ut ignoscat; et quo magis eorum exardescit ira, eo magis Christi accenditur charitas, qua succensus, pro inimicis, a quibus crucifigitur, ad Patrem clamat: *Pater dimitte illis.* O portentosus amoris inimicorum exemplum! Ubi nunc qui tanto affectu vindicari appetunt? Videant Christum in cruce pendentem, et audiant illum pro crucifixoribus rogantem. *Vindicari vis?* inquit Augustinus, *vide pendentem, audi clamantem; Pater ignosce illis* (Ser. 223 de temp.). Dicis, te gravia ab inimicis passum, sed *vide pendentem:* vide an tanta a tuis perpeussus sis inimicis, quanta a suis Christus, qui ab iis flagellatus est, et cruci affixus. *Dicis,* eos qui tibi injuriam irrogarunt, esse homines viles, abjectos, et ex infima populi fece, sed *vide pendentem;* vide, qui et quales sint hi a quibus passus est Christus, nonne a militibus? nonne a famulis? nonne a satellitibus et ab aliis abiectissimis viris dirissima pertulit? *Dicis,* te nihil unquam mali fecisse, et plurima impendisse beneficiis iis qui oderunt te? Sed *vide pendentem;* vide quid mali crucifixoribus suis fecerat Christus, vel potius quibus eos beneficiis non affecerat. Nonne eos creaverat? nonne iis corpus, animam, et omnia, quibus fruebantur, bona dederat? nonne actu eos conservabat? nonne, ut ait Petrus Damianus, *dum fel ori, clavi manibus, lancea lateri apponerentur ab inimicis; os, et manus et latus Christi agebant pro ini-*

miciis? Cum ergo spiritus nequam te ad vindictam de inimicis sumendam concitabit, *vide pendentem,* mentis oculos ad Christum converte, qui a personis vilibus, quibus innumera bona fecerat, illus flagellatus et crucifixus, hæc omnia miti et patiente animo pertulit, illisque benefacere non destitit. Respice Christum Dominum inimicos diligentem, pro iis orantem, et iis benefacientem. Intuere Christum, ut si ille inimicos suos amavit, tu tuos amare non dedigneris; *non dedignetur, quod fecit Christus, facere Christianus.* Imitare Christum, qui inimicos amat. Inimicos tuos dilige, quia Christus miranda tibi amoris inimicorum exempla dedit. Ad hæc, inimicos dilige, *quia Christus dire punit eos, qui inimicos suos non diligit.*

III PARS.

Diligendi inimici, quia Christus eos qui inimicos suos non amant, dire plectit.

Magnum amoris inimicorum motivum est haud dubie mirandum illud amoris hujus exemplum, quod Christus omnibus præbuit. Si vero hoc exemplo ad inimicos amandos quisque non alliciatur, ad eos diligendos quemque cogere debet poena, qua Christus eos plectit, qui inimicos oderunt. Quæ poena magna et gravissima est: quia eos qui inimicis non parcunt, Christus 1. privat venia; 2. privat gratia; 3. privat gloria.

1. Hæc in sacris Codicibus lex constituta legitur, quod qui inimico veniam denegat, a Deo veniam nunquam obtinebit; *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (Math. 6, 15). Omnis homo qui inimicos odit, coram Deo reus est, quia præceptum de amore inimicorum violavit; ut autem hujus et aliorum criminum veniam a Deo obtineat, inimicis prius parcat necesse est, quia Deus non dimittit, nec peccatorum veniam concedit his, qui inimicis non dimittunt; si inimicis indulgeas, indulget tibi Deus; si parcas,

parcet: si iis non dimittas, tibi non dimittet, nec veniam quomodocumque concedet. Acerbis licet jejuniis corpus affligas, licet facultates omnes pauperibus eroges, licet continuis precibus a Deo veniam postules, ab eo veniam nunquam impetrabis, si inimico prius non parcas et indulgeas, quia Deus his solummodo veniam concedit, qui inimicis parcant; et frustra ab eo veniam petit, qui inimicis veniam concedere renuit; *gratis petis veniam, qui alteri indulgere contemnis* (Chrys., ser. 71). Vide quid respectu inimicorum a Deo in oratione Dominica petas. Nonne ab eo petis, ut tibi parcat, indulgeat, et veniam concedat eodem modo, quo tu inimicis tuis parcas, indulges, et veniam concedis? Nonne ei dicis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* Nonne ab eo postulas, ut talem se erga te exhibeat, qualem erga inimicos te exhibueris? Hoc sane a Deo petis, et hoc tibi Deus concedit. Talem enim se exhibet respectu tui, qualem te esse videt respectu inimicorum; *Talem unusquisque indulgentiam accepturus est a Deo qualem ipse dederit proximo* (Aug. ib.). Deo in oratione Dominica dicis: Domine, si parcam, parce; si non parcam, ne parcas, nec mihi veniam concedas. Respondet autem Deus: si inimicis parcas, parcam et tibi; si iis non parcas, tibi non parcam, nec unquam a me veniam impetrabis: *si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (Math. 6, 14-15). Dimitte ergo, ut dimittat tibi Deus, parce ut parcat, veniam concede, ut veniam obtineas, si enim inimicis non parcas, tibi non parcat Deus; quia *non dimittit Deus non dimittentibus*, at eos privat venia; *et eos etiam privat gratia*.

2. Jejunabant, suasque animas humiliabant Judæi, ut jejuniis et humilitate sua Deum flecterent, et ab eo gratias impetrarent, sed frustra; nullam enim ex gratis quas petierunt, obtinere poterunt. Quamobrem mirantes et attoniti, a Deo supplices petierunt, cur jejunia et mortificationes quibus insistebant, eum ad misericordiam et ad petitas gratias conce-

dendas non inclinarent: *Quare jejunavimus et non asperixisti? Humiliavimus animas nostras, et nescixisti?* (Isa. 58, 3). Respondit autem, eos gratias quas petebant, non obtinere, quia in cordibus suis odia fovebant, ac adversus inimicos litigabant et contendebant: *ecce ad lites et contentiones; jejunatis, et perecutitis pugno impię*. Ecce cur gratiam a Deo non obtineant multi. Quia inimicis gratiam concedere nolunt, ideo in penam, sua Deus eos gratia privat. Jejunia, mortificationes, humilitationes, et alia bona opera sunt media potentissima ad obtinendas a Deo gratias; verum jejundet quis quantum voluerit, oret, largas pauperibus det eleemosynas, aliisque bonis operibus vacet quantum fas erit, non ideo tamen gratias obtinebit, si prius inimicis non parcat. Quia quamdiu quis inimicos odio habet, tamdiu ad impetrandam a Deo gratiam vana et inutilia sunt ejus opera. *Odiū enim proximi omnia bona quę agis, orationes, eleemosynas, jejunia, cassa et inania facit toto tempore quo durat. Quantum malum hoc?* (S. Tho. Villan. Ibid.). Certe magnum hoc malum, et gravissima hæc est poena qua Deus eos plectit, qui inimicos odio habent: *insuper eos Deus gloria etiam et æterna beatitudine privat*.

3. Durum quidem est inimicos diligere, sed magna merces dabitur diligentibus eos: qui enim inimicos et persecutores ex corde diligunt, copiosam in coelis mercedem recipient: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (Math. 5, 11). Gaudere quidem debent, qui persecutores et inimicos diligunt, quia ampla et æterna in cœlo præmia præcipient. Est e contra quod formident, et trepidant qui inimicos odio habent; quia, in criminis sui penam cœlesti gloria privabuntur, nec ad cœlestia regna intrabunt, si non convertantur. Deus enim illos æterna gloria privabit, et Paradisi portæ illis in æternum clausæ erunt: *Qui talem charitatem habet, ut inimicos diligat, illius cœlestis Jerusalem portas merebitur intrare; qui autem non vult habere hanc charitatem, ex omni parte portas clausas inveniet*

(Aug., serm. 68 *de temp.*). Si Sanctus Stephanus persecutores suos non dilexisset, cœli portas sibi apertas non vidisset; quia eos amavit, cœlos apertos videre meruit: *ecce video cœlos apertos*. Si inimicos diligas, tibi similiter post mortem aperientur cœli janua: si eos odio habeas, iisque non parcas, tibi claudentur Paradisi fores, et æterna beatitudine privaberis: *ex omni parte portas clausas invenies*. O quam grave illud supplicium! Durum censes inimico parcere; oh quam durius tibi erit æterna beatitudine privari! quam durius tibi erit, cum tibi dicitur, clausam esse Paradisi januam, nec unquam tibi esse aperiendam! Quid de te fiet, si clausæ tibi sint regni cœlestis janua? quæ tua erit sors? Nonne æternis tartari flammis addiceris? Nonne ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis tui in inferno erunt? Nonne ibi cum Caino fratricida, et ultionis amante, in æternum cruciaberis? Ibi, ibi horrendis et æternis plecteris suppliciis, quia inimico parcere noluisti. O frater, quid mavis, aut intrare in gaudium Domini tui, aut æternis suppliciis adiudicari? Quid mavis, aut æternum cum Christo regnare in cœlo, aut æternum in inferno cruciari cum diabolo? Haud dubie cœlestia tibi arrident gaudia, et in æternum cum Christo regnare concupiscis. Ergo si cœlestem beatitudinem obtinere, et cum Christo in cœlo regnare cupias, inimicos dilige. *Ama* illos, ut Christo præcipienti obtemperes: *ama* illos, ut Christum imiteris: *ama* illos, ut devites pœnam, qua Christus plectit eos, qui inimicos oderunt: *ama* eos, et charitas operiet multitudinem peccatorum, ac veniam, gratiam et æternam beatitudinem tibi impetrabit. *Amen*.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

DE AGENDIS ET VITANDIS

HOC SACRO TEMPORE.

Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit (Matth. 4, 2).

Institutam ab ipso sanctæ Romanæ Ecclesiæ primordio Quadragesimam apposite Chrysostomus *spiritale animarum ver* nominat. Sicut enim universi terrarum orbis facies, quæ hyemis tempore fuerat deformata, ineunte vere tota immutatur, deperditumque splendorem recuperat, sic adveniente Quadragesimali tempore, hominum peccatorum vita, quæ diebus bacchanalium, helluationibus, ebrietatibus, luxu, et infinitis execrabilibus, infandis et reprobatis operibus tota fuerat defuscata, adveniente saluberrimo Quadragesimæ vere, tota debet immutari. Adventante sacro illo tempore, helluo esurire, ebriosus sitim pati, humiliari superbus, luxuriosus continere, et omnis peccator pravos mores in sanctas operationes commutare debet. Hoc jejunii tempore cessent cupidia, helluationes, et omnia profana convivia; cessent hoc pœnitentiæ et mortificationis tempore coquorum sollicitudines, et archimagicorum artes: cessent hoc sanctificationis tempore effuse libidines, omnibusque licentioris vitæ criminosis exercitiis finis ultimus statuatur. Quid hoc Quadragesimali tempore agere et vitare debeant Christiani, specialius in sequentibus declarabimus. *Ace*.

Licet omni tempore abstinentiæ, pœnitentiæ, et animæ suæ sanctificationi quisque studere debeat, omnibus tamen notum et apertum est institutam ab Ecclesia Quadragesimam esse tempus ad hæc munia specialiter dedicatum. At funesta constat experientia, homines gulosos hoc abstinentiæ tempore sæpe cibis, vinoque se ingurgitare; homines voluptuosos hoc pe-